



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Iacobi Sadoleti episcopi Carpentoractis, de regno Hu[n]garię ab hostibus
Turcis oppresso & capto, Homilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CAR

PENTORACTIS DE REGNO VNGARIAE AB

hostibus Turcis oppresso & capto.

H O M I L I A.



AGNO & intolerabili dolore afficior, fratres charissimi, ex his iam penè assiduis incommodis & detrimentis, quibus Christiana conficitur & laceratur respublica. Nec uero aliter uobis usu uenire intelligo. Sed ætas mea exacta iam, & præcipitans, ususque rerum multarum in quibus diu sum penitus uersatus, me plus alioquantum, quam pars uirilis postulat, non solum præsentia mala hæc dolere, quæ longe antè impendunt uideram, sed etiam futura pertimescere semper cogit. ut dolor meus cum metu & timore de terriorum rerum semper coniunctus, gratiores mihi profecto, quàm cuiquàm uestrum animi curas asferre, & sollicitudines debeat. Et tamen paulo antè cùm recitarentur ex Germania literæ, quæ regnū Vngariæ totum delatum in hostium potestatem, nostrorum exercitus occisione occisios, uexatas & perditas citeriores provincias, Pestum & Budā urbes locomanuque munitas, arces regni illius quæ propinquæ Austriæ & propter uicinitatis situsque opportunitatem, tanquam uestibulum Germaniæ, propugnacula Italiæ, semper habitæ sunt, ab hostibus Turcis oppugnatas & captas nunciabant: uidi ego gemitus & dolores uestros, uosque prope aquè, atque ego eram, perculosos atque afflictos illo aduerso nuncio intellexi. Cum autem illa præterea quæ in eisdem literis subiuncta erant uobis legereñtur, quod maximas cedes ubique Christianorum esse factas, nulli neque ætati, neque sexui crudelitatem hostium pepercisse, terram coopertam corporibus interfectorum, flumina sanguine multo cruenta fluxisse constabat: quis tum fuit uestrum, qui in tanta coniuncti nobis, & religione & legibus Christiani generis strage lachrymas tenere posset? Quis non desineuit sociorum casum? Quis se dolore non abiecit? Nec uero quisquā, opinor, ex nobis in domestico funere, quanquam charissimo pignore orbatus, tantum unquam moestitiæ luctusque suscepit, quantis nos cuncti fletibus & lamentis casum hunc reipublicæ, & ueluti funus prosequuti sumus. Laudo pietatē uestrā, fratres dilectissimi, humanitatē probo, charitatē agnosco. Quod enim calamitate fratrum uestrorum tanquā uestra commouemini, magno mihi ea res argumento est, uos laturos fuisse miseris illis atque indigentibus opem, si facultas affuisset, quos ab immanissimis hostibus crudeliter absumptos tantopere doletis. Nam quod illi fratres fuerint uestri, sintque reliqui omnes, qui ab eodem patre Deo, & ex eadem matre ecclesia in hanc cœlestē uobiscū unā cognationis necessitudinem geniti sunt & procreati, ne dubitatis quidē. Quotiens enim cunctis Dominica à nobis profertur oratio (qui mos in CHRISTVM rectè credentibus solennis & quotidianus est) paterque noster Deus inuocatur & poscitur, totiens fratrum nostrorum qui ubique gentium eundem Deū patrem agnoscunt, facimus mentionem. Quos si uerè, si iure, si sanctiore etiam quàm hæc mortalis et terrena sit, generis necessitudine fratres appellamus, fraterna item iure benignolentia & uoluntate cōplectimur. Atque horum o misera & calamitosa tempora, in quæ nos deuenimus: horum inquā Dei filiorum fratrumque IESU Christi & nostrorum genus quondā per-

Dominica oratio.

amplum, & frequentissima cognatio, omneis propè terras, maria omnia obtine-
 bat, tum cum diffusa toto orbe terrarum cunctis in gentibus Deo gratias agebat,
 hymnosq; & laudes catholica concinebat Ecclesia. post locis undique & regionibus
 expulsi, patrijsq; sedibus extorres abire coacti, paulatim primò, deinde præ-
 cipitanus, ad extremum Africa Asiaq; amissis, omnibusq; prouincijs, quæ trans
 mare sunt, inter dissensiones nostras à Turca occupatis, angulum Europæ non
 maximum tenebamus: cum eadem ira Dei & amentia nostra nobis aduersante,
 ex eo ipso iam extrudimur. Quis enim non uideat, nostris munitionibus iam effra-
 ctis, patefactum esse hac oppressione Vngariæ hostibus barbaris aditum ad for-
 10 tunas nostras omneis corripiendas, sanguinemq; Christianorum fundendum at-
 que exorbendum, quem illi tanta cum auiditate semper sitiunt, ut saturari eo nunq;
 nec expleri possint? Atq; hæc eo duriora nobis atque indigniora eueniunt, quòd
 cum uirtute, si per nostras dissensiones & discordias liceat, superiores simus, amen-
 tia & cæcitate animi reddimur inferiores. Inferiores dico, iam non est uerbi huius
 rebus ipsis cõgruens & apta significatio. Illi enim inferiores uocadi sunt, qui cum
 20 carent, cum repugnent, cum resistent, uincuntur tamen uel aduersariorum ui, uel
 aliquo calamitatis casu. Nos sine certamine traditi hostium libidini & crudelitati
 sumus, & qui, si uellemus, tanq; aduersus fœminas uiri esse possemus, ceti pecudes
 sumus ad impetum luporum proiecti atq; expositi, destituti à pastoribus nostris,
 30 quos ipsorū propria studia, acerbacq; inter se odia in partes diuersas trahunt: nulla
 aut, uel non ea quam deceret, ipsis cõmissi gregis cura beneuolentiaq; attingit. Si-
 quidem bonus pastor, quemadmodum est à Domino in euangelio demonstratum,
 non & ipse pascitur fructu & incrementis gregis, & lupos non arcet populari co-
 nantes gregem: sed ut salutem ouium suarū tueatur & custodiat, offert in discrimē
 suam. Quod non modò nostri humani pastores non faciunt, sed quod multo gra-
 uius & perniciosius nobis est, ab ipso quoq; Deo summo omnium pastore & du-
 ce neglecti iam pridem & repudiati sumus. quòd grauem eius iram offensionemq;
 aduersum nos, nostra innumerabilia peccata concitauerunt. An non perspicua
 omnibus & manifesta est Dei offensio? Quis dubitare hac quidem de re potest?
 40 quis aliud sentire? Hostis adest in foribus, atque is hostis, qui cum sanguinis &
 prædæ uehementissimè sit apperens, sanguine tamē nostro magis etiam quam præ-
 da semper est delectatus. Is cædem & seruitutem omnibus nobis denunciat. Nihil
 audimus, nihil commouemur: iam intulit uim atque arma, iam rescidit uallum mu-
 nitionum nostrarum, iam intra nostra castra tabernaculaq; uersatur: nos ab hac
 cogitatione penitus auersi sumus: inter nos litigamus, inter nos digladiamur: &
 dum magna prælia paruis de rebus inter nos conserimus, ad illud prælium quo
 nostra salus & fortunæ omnes in uniuersum periculum uocatæ sunt, minime su-
 mus attentī. Potest ne ex his obscura cuiquam esse ira contra nos, & inimica in-
 festaq; uoluntas omnipotentis Dei? Vnde enim, obsecro, nobis hic stupor, hæc
 40 animi omīssio, hæc uecordia? nisi quia non direximus cor nostrum in Deum, &
 non coniunximus cum eo spiritum nostrum, neq; posuimus in eo spem nostram,
 & in lege eius ambulare noluiimus, sumusq; ipsius beneficiorum obliti, & ad ira-
 cundiam eum cõciuiimus. Iccirco tradidit in captiuitatē uirtutē nostrā, & omneis
 nostros apparatus in manus inimici: consumpsit gladio populum suum, & here-
 ditatem suam repudiauit. Non enim alijs, fratres, uerbis malorū nostrorum uera
 ratio & causa, præsertimq; tantorum exprimenda nobis est, quàm est à Propheta
 ipso, & à scripturæ sanctæ oraculis expressa. Quos enim Deus non amat, ijs men-
 tem & consilium profectō adīpīt. Hæc porrò nobis adempta est: quis non intelli-
 gat? Qui si præteritis malis detrimentisq; edocti, aliquando tamē resipisceremus:
 si cogni-

*Inferiores qui
proprie.*

*Dei offensione
grassari in Chri-
stianos Turcā.*

si cognitis hostis insidijs, eiusq; malitia & calliditate perspecta, qui semper sociales
 nostras discordias occasionem suarum rerum bene gerendarum aduersus nos pu-
 tauit, qui incredibili ambitione inflammatus, inhiat orbis terrarum imperio, qui no-
 strum omne extinctum & perditum nomen cupit: ipsi quoque arma contra eum
 nostra & auxilia conferremus, animisq; usi uirilibus, & consilium quo ualere so-
 lebamus, & uirtutem qua longè sumus superiores, illius et malitiæ opponeremus,
 & ferocitati: placatoq; in primis, quod maxime necesse est, Deo, quod expiandis
 pœnitentiæ ueteribus peccatis, nouaq; & casta uita ad illius arbitrium & uolunta-
 tem ineunda perfacile obtineremus, spes esset non modò nos impetum hostis bar-
 bari & crudelis à reliquis nostris urbibus et agris propulsuros, sed ultrò in eius pre-
 sidia & regna inuasuros, recuperandisq; prouincijs & nationibus, quas amisimus,
 ueterem unà dignitatem & amplitudinem maiorū nostrorū recuperaturos. Nunc
 quis nos amentię non condemnabit, & rationis lumine orbatos non agnoscat, cla-
 raq; hæc & certa indicia non constituer, alienati à nobis atque auersi præpotentis
 Dei, illiusq; diuinæ dexteræ à nostra protectione amotæ: Cuius Dei alienationem
 etiam mentis nostræ alienatio sequitur: quòd non modò nil dignum nobis, maio-
 ribusq; nostris cogitamus, sed ne supremam quidem pestem, quæ nobis imminet,
 ultimumq; excidium quod appropinquat, possumus rectis oculis conspici. An
 est de reliquo exitio nostro nobis dubitandum? nosq; ea tantummodo, quæ malè
 adhuc gesta sunt conquerimur, de futuris non pertimescimus? Imò uerò metus &
 expectatio malorum impendentium nos pœius habet, quàm dolor eorum, quæ iam
 perpassi sumus. Id adeò uos mecum unà considerate. Turca hostis superbus, & ui-
 ctoria ferox, religione impius, crudelitate barbarus, avarus imperij sui ampliandi
 (si tamen id imperium, in quo unus omnino liber, & idem tyrannus est, ceteri ex-
 trema fortunæ cōditione sunt serui) is nunc utraque Pannonia suæ ditioni subiu-
 cta, tot populis & prouincijs uno aduentu suo impetuq; oppressis, & à Christiana
 consensione diuulsis, oppida, arcesq; eas ui cepit, ex quibus proximus illi & pro-
 cliuius ad hæc nostra interiora est progressus, ut & peruagari quæ uelit, & excurrere
 quocunque libeat, sine metu & periculo rerum suarum, iam illi sit licitum. Est ne
 igitur quisquam qui dubitet, quin hac opportunitate contra nos usus, suarum
 que cursum uictoriarum continuaturus sit? Nemo profectò: non enim remittit
 ille quippiam, non procrastinat, non sinit effluere & præteruolare occasiones:
 sed præsto est semper uenientibus, & se offert. Quid ergo, cum iniecerit sese intro-
 sum in nos? ut forsitan iam iniecit: nihil dum enim postea ex illis locis est allatum.
 Quos, quos ille inueniet ciuitatum nationumq; consensus & conspirationes para-
 tas, ad obuiam eundum, resistendumq;? Quam concordiam & providenti-
 am principum, consulentium rebus communibus? Quas acies, manusq; mi-
 litum, quos non solùm animi fortitudo, sed pietas etiam erga patriam, aduersus
 impium hostem armarit atque erexerit? Nihil omnino horum, sed cuncta o-
 dijs ciuilibus dissipata, factionibus perturbata, hæresibus polluta, ignauis prauis
 ue consilijs contaminata & perditæ, est reperturus: ut illi summa commoditas
 ad impugnandum, nobis uix ulla facultas ad resistendum reliqua ostendatur.
 Nam si resistendi consilium, aut animus fuisset, in propugnaculis oportuit resisti.
 Nunc amissis illis, quanto maiore cum periculo debilitatas uires nostras hosti op-
 ponemus, qui integras obuiam ferre negleximus: quanquam nullum quidem pe-
 riculum desidia, & intestina nostra dissensione maius est. Utinam modò con-
 ueniremus, utinam consopita iam diu Christiani nominis uirtus, aliquando tan-
 dem expergisceretur, principesq; nostri, quibus data est in Christiano populo po-
 testas & moderatio, quæ se essent digna, & suo nomini consentanea cogitarent,
 alterutrum

alterutrum nobis non deesset, ut aut uinceremus hostem ignauum suapte natura nostris dissensionibus felicem, non fortem: aut si à nobis esset Dei omnipotentis decreto hæc spes & gloria tantæ uictoriæ abiudicata, honestè tamen, tanquā fortis in pugna uir, & sine dedecore caderemus: Qui nunc pecudum exterritarū more dispulsi & errantes, sine opilione, sine certo signo, sic dilaniamur passim atque conterimur, ut non modò nobis uiuentibus dignitas, sed etiam morientibus desit misericordia. Verùm quoniam queri quidem hisce de rebus possumus, opitulari autem & subsidio esse ruenti reipub. non possumus, quod ad id nobis non animus, sed fortuna opes non suppediat, si quid autem autoritatis publice in consulendo habuimus, id frustra iam aliquotiens & dicendo & scribendo sumus experti. Veniamus fratres charissimi ad ea solatia, & in periculis malisq; perfugia, quæ nobis nulla inimica uis, nullius hostis acerbitas, nulla commutatio rerum, uisq; & inclinatio temporum potest eripere. Ad Deum enim nostrum, qui summum nobis bonum est, tutus semper nobis est, si uolumus, facilisq; receptus: nec nos deterreat, quod ille habitat altissimis in locis, nos in infimo mundo sumus positi: non enim tarditate corporum, sed uelocitate animorum illuc usq; pertedimus. Etenim posteaquam IESVS Christus summi filius patris, parq; ipse patri & natura & potestate Deus, ad nos deuenit, carnisq; nostræ fieri dignatus est particeps, quò suæ ipse diuinitatis nos quoque uicissim compotes efficeret, ex eo regnum coeli uim à mortalibus pati assueuit, & uiolenti illud atq; fortes rapere cœperunt: nec tamen ista uiolentia eò est requisita, ut oram, ambitumq; coeli, quasi urbis munitæ moenia tormentis perumpamus, sed in dissoluedis uinculis necessitudinum terrenarum, quæ nos à Deo longè remotos detinent, & in tabernaculis nostræ uitæ, quæ in terra altè fixa atq; defossa sunt, extrahendis ac refingendis, noua quædam & magna uis nobis necessariò est adhibenda: quam nos nec nosse, quo ex genere sit, nec suscipere et exequi quemadmodum oporteat unquam potuissimus, nisi Christus idem nobis & exemplo semel fuisset ad percipiendam eius rei doctrinam, & esse quotidie adiumento ad exercendam uirtutem. Quapropter fratres, si uolumus (ut ante dixi) nosmetipsos, & bona omnia nostra in illum sublimem locum deportare possumus, quò neq; malum aliquod, nec flagellū inimici potest appropinquare. Cur autem ita uelle debeamus, causæ complures sunt, & diuinæ illæ quidem, & humanæ: sed nos breuitatis causa paucis perstringemus. Humanæ causæ sunt, quamobrem nos conueniat spes & rationes nostras conferre & dirigere in unum Deum, ut malum, ut calamitatem, ut exitium fugiamus: Diuinæ, ut bonum, ut felicitatem, ut immortalitatem consequamur. Parum ne uobis in utraq; parte ponderis esse uidetur, & momenti, cur & hæc quæ mala sunt relinquere, & illa quæ tanta & tam expectanda bona sunt, exquirere debeamus? Nam hic quidem, in hoc inquam mundo, & in his terrenis ac mortalibus bonis, si tamen bona appellanda sunt, quæ quò plura et maiora nos circumsistunt, hoc sumus angoribus animorum & sollicitudinum stimulis inquietiores. Igitur in his ecquid nam obsecro tanti est, ut id studio nostro & cura dignum sit iudicandum, ac mediocri quidem cura? cum tamen nos omneis curas, & studia omnia nostra in ijs rebus constituamus: in quo malus nimirum nos error, & opinio decipit, usu et consuetudine deprauata. Cum sirectè putare rationem totam, & naturam rei perscrutari uelimus, contrà nobis eueniat, quàm ut sibi persuaferat, & summam suarum rationum fecerat nostra cogitatio. Illa enim ex his temporū & terræ bonis multas sibi paratas utilitates, egregias commoditates, complures & magnas & uarias iucunditates spe præceperat, quarum euentu in experiendo fraudata, (incidit enim magis ex illis in molestias, in moerores, in timores graues, & sollicitudines) nūquam tamen desistit inquirere

anxiè & laboriose, quo se nunquam fructuram intelligere non potest: ita & spe uana meliorum in posterum rerum, & tædio ac satietate præsentium frustrata & illu-
 sa uita nostra, antè præceptum ad occasum truditur, quàm non modò potuerit repe-
 rire quod quærebat, sed etiam quàm iter rectum ad quærendum inuenit. Itaque
 ille sapientissimus Regum, cui et sua ui ingenij atq; consilij, & in primis Dei omni-
 potentis donis omnia quæ optarat ad uoluntatem successerant, cum honores, im-
 perium, regnum inter suos, famam autem & gloriam & præstantem authorita-
 tem inter alienos, illas uidelicet nationes Orientis esset nactus, cum agros præ-
 clare cultos & consitos parasset, magnificè & splendidè omnibus in locis ædifi-
 casset, maximum auri pondus argentiq; congregasset, tum autem cætera quæ ad uo-
 luptatem corporis, & ad lætitiā animi apta atq; idonea esse existimantur, ha-
 beret sibi per omneis propemodum ædium & uillarum suarum angulos, perq; om-
 nia horarum temporumq; momenta parata atq; disposita: in his tamen ipse, &
 alijs eiusdem modi singulis rebus cōmemorandis insistent, tanquam illusus à for-
 tuna, & à spe sua destitutus, exclamat ubiq; uanitatē ista omnia esse: nec qualem
 cūque uanitatē, sed quæ cæterarum omnium princeps uanitatū, & summa
 uanitas sit. Quod perinde est, ut si diceret, non esse uanum contemptum huius-
 modi rerum, quarum studiū & adeptio sit maxima uanitas. Quid in Euange-
 lio dominus, Luca attestante: non ne hominem illum optima ratione redarguit,
 qui ædificatis sibi cellis penarijs permultis, ipsq; omnium fructuum copia & uarie-
 tate repletis, cum in multos annos paratas sibi copias uitæ & commoditates ui-
 deret, ausus est animo suo dicere, & suadere, ut gauderet nunc denique, & latere-
 tur, quoniam haberet in posterū, quibus se perpetuò esset oblectaturus: ad quem
 mors eodem ferè momento: Stulte, inquit, hac nocte abs te anima tua repose-
 tur. Et sanè omnibus ferè hoc contingit, qui in terrenis bonis congregandis elab-
 orant, ut semper solliciti, semper anxij, ad omnia semper auido animo anhelan-
 tes, nusquam inueniant suarum sollicitudinū finem, exitum uel laborum, cum
 tamen semper inuenturos se sperent, donec mors improuisa irrepens, inopinante
 eis in medio curarum astu, & cupiditatum opprimat: uel stupenteis, & attoni-
 tos, tanquam beluas, & illo mortis casu amenteis factos, quod se fragiles esse,
 & ex moribundo genere ortos antea non cogitarant: uel si sensum & cogitationem
 conditionis suæ eo tempore retineant, tum maxime gementes & dolentes,
 uitam sibi eripi, cū rebus suis planè constituendis nondum finem eum, quem
 sibi propositum habuerant, imposuissent. Sed sit hic fermè cunctorum com-
 munis error, & humana deceptio ut diximus, quæ ab hominibus malè adhuc a-
 nimaduërta, ex scripturis sanctis perspicuè redarguta est, quod inter uanam spem
 futurorum bonorum, quæ scilicet terrena & mortalia sint, inanensq; fructum
 præsentium, quorum quotidianis sollicitudinibus, & molestiarum aculeis ama-
 ra plerunque & irrequieta est possessio, portum nostrarum cogitationum tene-
 re non possumus. Quid? quod amore huiusmodi bonorum deprauati, atq; indu-
 cti, uera & sempiterna bona ueluti sponte, & data opera à nobis abalienamus?
 Tantum ne hic quoq; potest error, et importuna nobis cæcitas animi sic officit, ut
 certissimorum, maximorumq; bonorū, præ his quæ & leuia. & certè fugitiua sunt,
 nullam sæpenumero ducamus rationem: ut perpetuam nostram salutem, & felici-
 tatem, breuī & falsæ iucunditati posthabeamus: Diximus hæc terræ bonā nō ma-
 gnè à nobis dignationis haberi cōuenire, propterea quod eorū acquisitio laborio-
 sa, custodia sollicita, possessio fugax, fructus nobis atq; usus inutilis plerūq; & per-
 niciosus sit. Atq; hæc ita diximus, ut etiā illa si iure contempnatur à nobis, si sponte sua
 ad nos cōfluant, si sine iniuria, sine improbitate, sine conscientie damno sint nobis
 parata

parata non tamē magni facienda uideantur, propterea quod aut bona ex se, & sua natura, non sunt Christianis hominibus quidem, quorū non est in his copijs beatitudo constituta: aut si quid habent in sese boni, in eo habeant duntaxat, cum negliguntur quā ad commodum nostrum pertinent, ad aliorum autem incommoda subleuanda potius adhibentur. Vt uerō eis quoq; appetendis, captandis auide, anxieq; quoquomodo cōquirendis, nec fides teneatur à nobis, nec seruetur iusiurandum, nec pietatis ac religionis erga Deum, humanitatis erga proximum ratio habeatur: quis hanc tantam labem & perniciem bonorum morum cū animo aduerit, non ipsa coactus ueritate confiteatur, Deum nobis merito & iustissime censere? Miramur nomen Christianum pessum quotidie ire: Miramur hostibus nostris tantam uim, tantam prosperitatem, tam felices nostro detrimento atq; exitio euentus procedere? Quid ista mirari oportet, cum omnium origo malorum euidens & manifesta sit? Nempe quod iratus & inimicus nobis est Deus: nec spon te ille sua. quid enim magis est ab illius clementia & infinita bonitate alienum? sed maximis & grauissimis iniurijs prouocatus à nobis. Itaq; ut Assyrios ad excidium Iudaorum adduxit, sic exterminationi nostrae inuehit atq; corroborat Turcas, genus hominum longē multoq; quā Assyrijs, & crudele magis, & inhumānum, & barbarum. Minus enim offenditur Deus in ijs, qui apertē illi & sunt & semper fuere hostes, quā in nobis, qui amicitiam cum eo fidelitatemq; professi, omnia & fidei & amicitiae iura prodimus, & uiolamus: idq; aduersus Deum, qui uindicare acerrimē, & quamuis subito potest, cuius forti potentiae incurranitur & inclinatur omnia, nec nostram abiectionem imbecillitatemq; respicimus, & saepe intra nos taciti ratiocinamur, & quaerimus, quid causae sit quod uideatur Deus de nobis curam abieciisse, & nationes eas in quibus solis colitur & honoratur, ipsius nomen uastari, diripi, & in seruitutem redigi sinere. Qui est iste cultus atque honor? aut quae Dei colens natio? Quid habet Deus iam in nobis, quod suum dicere possit? cum usurpetur quotidie quidem in per nos illius nomen: uerum id magis ad confirmationem improbitatis nostrae, quā ad uenerationem diuinitatis suae: atque ut ipsemet inquit, Labijs tantum à nobis honoretur, cor autem nostrum longe sit ab eo. Quod ita esse, iam mihi omnes concedatis est necesse. Est ne quicquam quod ille magis nobis praeceperit, crebriusq; idem & uehementius inculcari, quā ut diligeremus inter nos, ut inuicem quisque alterius onera ferremus, ut essemus erga proximum & humanitate & beneficentia misericordes, & mites? Quid ergo? (respondeat quicumq; uult) Pareatur ne Deo, ista praecipienti, obtemperatur, obeditur? Obscurum est, credo, Carpentoraenses mei. Sic enim agam nunc uobiscum, ut de uitjs eis, & peccatis, quae generi & ordini uestro familiariora sunt, commemorandum putem: non adsunt principes uiri in praesentia, non reges, non Pontifices, non factiosi & nobiles, non militares homines, non illustres artes scientiasq; professi: quibus, si adessent, alia, & alterius modi adhibenda esset oratio, uobiscum loquor: quos tanquam diligens pastor cupio in uitam errantes reducere, & à Christo Domino disiunctos, ad Christum rursus adiungere: de uulgatis & communibus delictis uerba facio, non ut quempiam laedam bonum, sed ut minus bonis timorem aliquem Domini (in quo initium omnis sapientiae est, & corrigendae uitae studium) quatenus nobis à Deo conceditur, inseram atq; iniiciam. Obscurum ne cuiquam & dubium esse potest, quid agatur in hoc quotidiano inter se hominum commercio, in hac infida societate uitae? quae alternis opibus suppeditata, & adiuta fidei & mutua charitate, sicut imperat Dominus, munita esse debebat: non ne omne penē omnium studium in eo nunc consumatur, ut circumueniendo proximo, quaestui quisque suo, & iniusto lucro deferuiat? emuntur, uen-

Calamitatū huius
seculi causa
quae.

Circūueniendo
proximo omnes
iam studere.

*Auvaricie pestis**Nomen Dei nō
faciendū irritū*

duntur, contrahuntur quotidie res, syngraphæ conficiuntur, iudicia exercentur, lites intenduntur, ubiq; Deus, ubiq; iusiurandum, ubiq; pactio, ubiq; promissio: est ne in hisce rebus fidei iam usquam, & ueritati, & iustitiæ, & religioni locus: parum ne cogitamus, quid nam agimus: aut si ea res, & animi nostri intestina malitia, menti nostræ est proposita, Deum ita despeximus, ut illi uolentes, & prudentes, tot quotidie inferre non uereamur iniurias? Mitto nunc cætera communis uitæ delicta, desidia, libidines, luxus, æmulationes, iracundias, & quæ sunt eiusdem modi: quæ etsi uitia, ac peccata grauiasunt, eodemq; in genere improbitatis uersantur, tamen faciliores habent, quàm auaritia, ad Deum rursus receptus. Auaritia maxime una est, quæ tanquā terra quædam, horribilisq; pestis, dissipat omnem bonum morem, humanæq; uitæ societatem distorbat, & depopulatur: quorumq; in animum inuasit, arcemq; in eis obtinuit mentis atq; consilij, eos illa statim familia Dei ereptos, atq; abstractos in seruitutem Sathanae mancipat. Est enim auaritia, ut pluribus in locis repetit Paulus, Idolorum seruitus. Egregium sane fructum fert hominibus auaritia, ut qui à Domino Deo pacem, salutem, uitam, felicitatemq; & precamur & optamus, eaq; unius illius dono obtineri à nobis posse cognoscimus, nec tam in terris hæc quæ mortalia sunt, sed illa cœlestia & sempiterna, iidem ad aureum alium dominum transfugientes, oppositum è regione omnipotenti Deo, supplicesq; illi facti, mortem & perniciem ab eo, animiq; turbam & tumultum, totiusq; uitæ miseriam precibus impetramus: nec solum hæc in hac ut habeamus uitā, in qua tamen miserij finem mors quandoque imponit: uerum & in altera, ubi nulla unquam summa infelicitatis & miserrimæ calamitatis datur intercapedo. An non hoc experimini quotidie in uobis, Fratres? Vosego appello, si qui forte adestis, in quibus maius aliquanto, quàm oporteret, insit pecuniæ studium. Vos enim ego parturio in Christo, & in eodem Christo sanos & ualentes cupio parere. Non ne inquā sentitis, quàm acres habeat stimulos, & quàm animū uehementer fodisset iste lucri amor, usq; eò quidē, ut quiescere animum non sinat, turbasq; omnium intus concitet cupiditarum? quibus quidem in eo dominantibus non pax, non ratio, non rectus mentis usus habere ibidem locum potest, non uirtus, non libertas, non consilij constantia. Atqui ad summum sic affectum, tanquam in domum seditionibus & turbis agitatam, nequam pacis autor ingreditur Christus, neque uerò ipse habere aditum eò potest, ubi eum mens non recipit, sordidis alijs curis & cupiditatibus occupata: aures non audiunt, quoniam pecuniæ & syngrapharum & litium tinnitibus obstruntur: lingua non nominat, nisi cum inaudito quodam & prorsus nefario scelere, captandi lucri causa, facere eum illa uult suæ fraudis & perfidiæ ad stipulatorem & testem. Omiseris nos: eo ne usque amentia & impietatis processum est, ut quo mendacijs nostris fidem astruamus, Deum sæpe testem scelerata menteficiamus? Falsitas ergo imperabit ueritati, Christianis hominibus authoribus, & Sathanas leges imponet Deo? In primis, quæ Moyse à Deo data sunt, præceptis illud prope est primarium, quo uetamur nomen Dei nostri irrita & ludicra appellatione expromere. In quo præcepto id spectatum est, ut ne nimium crebra & familiari commemoratione illud uilius factum, minus sanctum & uenerabile ad aures hominum accideret. Nos, quod sine causa facere prohibiti sumus, ob eam causam faciemus potissimum, ut mendacia nostra iureiurando fulciantes, proximo nostro fraudi & detrimento simus? Quid tandem ut efficiamus, aut quod est extremum & ultimum nostrarum tantarum contentionum & laborum? Nempe ut & ipsi terræ commodis, & corporis acunditatibus largius perfruamur, & liberis nostris quamplurimum relinquamus. Potest ne quisquā male partis

partis bene frui? aut in animo sibi ipsi implacato & discorde, soluta & pura huiusmodi bonorum delectatio inesse? Liberis autem nostris non ne eam certiore hæreditatem transmittimus, qua ipsos in eadem cupiditate & malo more nobis institimus similes, quam qua ædeis illis nostras & undos relinquimus? Quæ tamen ipsa quoquo pacto nobis quæsitæ sint, etiam per fas & honestam rationem, omnia, iam animaduertere potestis, addicta esse uanitati. Turcæ adsunt, impendent, irrunt, una hac & recente equitatus sui excursionē Pannoniam utramque sibi subiecerunt, treis trans Danubium uno tempore prouincias, Dacorumq; illas gentes & nationes, quæ in treis tetrarchias erant distributæ, in suam redegerunt potestatem: non quiescunt, non desistunt, non defatigantur, ardent cupiditate omnia corripendi: terribiles sunt crudelitate, feroces uictoria. Itaq; reliquis populis, orisq; Italici & Germanici exitium cladēq; minantur: nos ad eos arcendos & propulsandos, propter intestinas nostras discordias, propterq; illam infelicem & cæcā dementiam, quæ nobis ex ira Dei & ex peccatis nostris inuectā est, minimè sumus idonei. Quam eos diu putamus ab his locis absuturos, quam non celeriter aduolatu-
 10 rem: ut nos quoq; sedibus nostris & fortunis euerant, qui plus una æstate proxima rrarum & nationum uincendo, uastando, urendoq; obierunt, quam quantum inter ipsos nunc & inter nos sit interiectum: longiora spacia cum exercitu maximo, quippe centum & quinquaginta millibus equitum, trecentis peditum per-
 20 uolauerunt, quam sint ea quibus sumus ab illis separati atque disuncti: ut confidere nemo possit, hanc diu pestem & perniciem à nobis abfuturam, qua orbis terrarum ferè oppressus est. At sunt urbes & oppida munita in medio, quæ uim illorum sustineant. Hæc ratio fratres, hæc falsa opinio omneis penè gentes et Christianas nationes opportunas hosti ad subigendum præbuit. dum enim unaquæque earum in uiribus & propugnatione alterius, quæ ante se esset periculo obiecta, spem suam ponit, dumq; illius præsidio se existimat tutam, nec coire cum ea belli & fortunæ societatem curat, deinceps singulæ sunt in seruitutem excidiumque arreptæ. Quin mihi uehementer ut reformidē in mentem uenit, cernenti præsertim & agnoscenti Christianæ reipublicæ statum, quæ domesticis uulneribus grauiter ægrota, uix tollere oculos, & haurire spiritum liberioris cœli potest,
 30 ne paucos ad annos (quod tu, ô bone Deus, obrue quæso, & detestare meum cimen) ex his exturbati atque eieci locis, & in ultimas aliquas terras, qui Turcarum & barbarorū mos est, transire iussi, patrias hæc sedes & auitos lares nostros harenis aut paludibus commutare cogamur, quicunque tamen crudelissimæ hostium cadi superfuimus: quanquam qui tunc morientur, multo erunt fortunatiores. Sed uos, uos inquam appello Carpentoraçtenses mei, mea curatio, meus dilectus grex, quando nostra non est medendi his malis, illisq; obuiam eūdi potestas: quorum autem ea est, ij aut non intelligunt quid mali ipsis & periculi imminet, aut certè negligunt: cuius oscitantæ perniciosæq; negligentæ magna olim
 40 ab eis & peracerba certè exigeretur ratio. Quando ergo hæc nostræ potestatis non sunt, nec cunctorum saluti & publicæ incolumitati consulere possumus, nostræ saltem consulamus. Est autem illud consilium primum optimum, ut ne tantum in his terrenis bonis operæ studiūq; ponamus, quorū amor nos facit, ut animo simus semper irrequieto & sollicito, ut timoribus, ut mœroribus, ut doloribus omnibus patemur, quæ etiam si nobis bona propria esse possent, non tamen essent tanti, ut præ illorum commodis, quæ omnia extra nos sunt, & ad corpus nostrum forsitan non nihil, ad nos quidem ipsos minime certè pertinent, tot nostros proprios intimosq; angores, tot animi molestias sollicitudinesq; susciperemus. Nunc & incerta ipsa sunt, facileq; caduca, ac fragilia, & in id præsentis adducta discriminis, ut
 00 3 Turcis

Pannonia utraq;
 iam Turcæ sub-
 iecta.

Futura calamitas
 omen.

Poenitentia.

Dei erga nos
quanta benigni-
tas.

Turcis magis parata quam nobis, & hostibus potius quam liberis tradenda esse uideantur: quorum ab amore, & inconsulta cupiditate, si animum auellere & re-
glutinare studuerimus, continuo nobis CHRISTVS illucescet: continuo uerior
illa uita coelestis & sempiterna, magis erit nobis cordi: atque horum bonorum (mi-
nimè quidem bonorum) adipiscendorum causa, si quid iniquè, improbè, fraudu-
lenterque egerimus, si quod patrauerimus facinus, si qua libidine, si quo turpi scele-
re fuerimus maculati atque infecti, ueniet diuinitus in nos sancta illa & salutaris
poenitentia, quæ molliet pectus nostrum, omnesque intimos animi recessus pera-
grabit, atque illinc euertet sordes, impietates, fraudes, nequitias, mundumque in
nobis Deo parabit domicilium: quo quidem Deo humanissime & clementissime
nostrum hospitium subeunte, danteque nobis gratiæ & reconciliacionis suæ dexte-
ram, spei multo melioris & firmioris latitiæ efficiemur compotes. Non tum
nos ista terrebunt, quæ nunc anxios & miseros maiorem in modum habent: non
ex aliorum tribus euentis nostram propinquam calamitatem extimescimus: non
audiendis crudelissimi hostis cædibus & stragibus, quas ille in fratribus nostris,
populis CHRISTI uidelicet quotidie facit, animo ipsi consternabimur. Est
ominino quidam dolor ex fratrum nostrorum incommodis intestinus in nobis, quem
charitas Christiana non sinit nos eijcere: sed ut aliorum calamitatibus indoleamus,
nostrarum certe erimus securi, quod enim amitti à nobis possit, quod ue nobis eri-
pi, nihil admodum erit, in quod ius habeat fortuna & potestatem. Itaque cum di-
uino Psalte alacres concinemus, De ærumna mea inuocaui Dominum, & exau-
diuit me Deus: Dominus mihi adiutor, non timebo quicquid faciat mihi homo:
Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Deum enim nobiscum
habentes, fratres charissimi, facile inimicorum impetus ferocitatesque contemne-
mus, à quibus nullum præsertim esse potest nostris certissimis uerissimisque bonis
periculum. Etenim attolite, quæso, oculos in cælum, contemplamini & conside-
rate patriam illam, quam ita oculis nostris & mentibus ingerit atque offert Deus,
ut uideatur uix spacium dare nobis uelle, aliorum uersum curas & cogitationes
nostras conuertendi. Hanc nobis sedem fortunarum omnium nostrarum, hoc
regnum proprium atque perpetuum promittit CHRISTVS, quod nobis iter atque
aditum non hostium equitatus, quamuis innumerabilis, non insidiæ ullæ, non a-
perta aliqua uis potest intercludere. Vt enim in libertate dici solet, neminem posse
amittere libertatem, nisi qui ipse autor factus sit: sic regnum coeleste nemini potest
eripi, qui non ipse sit suæ tantæ iacturæ calamitatiqque assensus. Tanta fuit erga nos
summi Dei benignitas, ut rem omnium pulcherrimam & maximam, in qua adi-
piscenda omnes nostræ prosperitates, omnes iucunditates, uita denique beata &
immortalis nostra sita est, nostræ esse subiectam uoluerit potestati. Dedit enim no-
bis potestatem (ut enunciat Scriptura) filios Dei fieri, ipsi qui credidimus in nomi-
ne filij eius. Nam hoc quidem in primis ad cognitionem coelestem summamque
tantæ nobilitatis gloriam acquirendam necessarium & nobis, & cæteris omnibus
est, ut credatur in nomine unigeniti filij Dei IESU Christi, sine quo omnis noster
conatus in cælum perueniendi irritus & inanis est. Porro autem ita creditur (ne
fortè in uerbo quispiam uim sitam putet, solaque credulitate arbitretur se satisfacere)
ita inquam creditur, si in eo omnis spes nostra, non in his terrenis rebus mortali-
busque constituat. Hoc si egerimus, in eumque crediderimus toto animo & plena fide,
que maxime in amore coelestium consistit, despicietiaque terrestrium, quotiescunque aliquid
sæuū atque atrox nobis nunciabit, cuiusmodi fœdè iam hauriunt quotidie & expectant au-
res nostræ, quoties aut urbs nominis nostri ab hostibus excisa, aut populus abductus,
aut trucidatus exercitus, aut nationes integre prouinciæque oppressæ huc perferen-
tur, do-

hur, dolebimus quidē, ut dictū est: nec aliter poterit fieri: sumus enim omnes unus
 corporis membra Sed tamen in luctu publicæ calamitatis proprium paratū unus-
 quisque nostrū solatium habebimus. Clamabimus enim, ad Deum corde con-
 uersi: Et si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu
 mecum es. Quamobrem expergiscere qui dormis, & exurge à mortuis (hoc est, à
 peccatis, quæ uerā afferunt mortem) & lucebit tibi Christus, is qui tua causa ex
 Deo homo factus est, qui pro te crucem & mortem non recusauit, qui generis hu-
 mani unicus in cœlum est deductor. Lucebit autem is tibi, ut recto itinere tibi de-
 monstrato, si monitis eius parēre uolueris, in illud cœleste domicilium te deducat.
 10 Nunc quidem etiā dum hic sumus iucundissima expectatione & spe illiusq; di-
 uinæ uitæ, si piē, innocenter, Christianeq; uixerimus, similitudine: post re quo-
 que ipsa & propria cœli possessione, cum ille nobis extremus dies aduenerit, quē
 plerique frustra pertimescimus, qui deberemus potius optare atq; deponere, ut ex
 hac ærumnosa & calamitosa uita in illam pacatissimā & beatissimā quā pri-
 mū traduceremur. Quod quidem Deum immortalē rogo atque oro,
 ut mihi, & uobis quo ipse statuerit tempore feliciter contingat,

gratia & misericordia eiusdem Dei & seruatoris nostri

IESU CHRISTI, qui cum Patre & Spi-

ritu sancto uiuit & regnat in sæ-

cula sæculorum,

Amen.

F I N I S.

SERIES CHARTARVM.

α β γ δ ε ζ η θ ι κ λ μ ν ο π ρ σ τ υ

* A B C D E F G H I K L M N O P

aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo

Omnes sunt terniones, præter * & oo querniones.